



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Tractatus XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

possibilium scientiâ sunt consecuti? Nonne ex altissimâ illâ Mente, quasi ex Ideâ profluxisti? Nonne is te in hanc mundi tabulam eduxit, & eâ te in conditione posuit, in quâ nunc es? exilis es, humilis, egenus, æger, Rex, mendicus, seruus, aut Dominus; & hoc ipsum ab ipso es, *vnusquisque enim proprium donum habet à Deo.* At verò non alium voluit te is, è cuius manu & voce es id quod es. hoc gloriæ suæ imprimis iudicauit conducere. Egregium enim verò sit facinus, si masculi minores in picturâ ab artifice in locum minus præclarum coniecti, litem mouere incipiant, queranturque se non tam viuis coloribus expressos; educi se velle clamitent, veluti ij qui in primâ tabulæ facie, magis stant conspicui. Quasi verò pictor artis suæ rationem habere non debeat, & singula efformare prout idea, & perspectiuæ fert ratio.

*Qui statim
cum tan-
quam con-
uenientissi-
mum nobis
selegit.*

An omnes Reges esse debent, omnes diuites, omnes eximij? quæ demum tunc erit vniuersi symmetria? Et quid tanti interest, quam demum ego partem agam, si illam ingeniosè exprimam, si artem mei conditoris benè agendo commendem? Adde, quod omnibus circumspectis, viderit sapientissimus meus Deus, conditionem hanc quam modò obtineo mihi maximè conuenire; hanc ad salutem procurandam mihi solam conducere; neque in vllò prorsus statu, me aut salutem meam, aut eius honorem præclariùs promoturum? Quin ergò tam altæ Ideæ acquiesco? An ille qui omnia in pondere, & mensurâ fecisseprehenditur, in me solo credendus est errasse? Et qui ne formicam quidem condidit, cui non omnia exactissimè sit ad mensus, quæ naturæ tam exili visa sunt conducere; mihi propter quem creata sunt omnia, quidquam denegauit, quod ad bonum meum, artisque suæ commendationem requirebatur? Insanus certè sim, si id suspicer. Non igitur me hâc in parte turbabo posthac; à Deo sum, id quod sum; & vt Dèi sim, sum id quod sum. Bene itaque mihi est, nec aliud esse posthac, si liceat, velim; ne tantæ sapientiæ me opponam.

42.

TRACTATUS XI.

*Si statum
contentus
sis, etiam*

HOc autem si prorsus velim, statuique meo aut conditioni si acquiesco, tum demum omnibus quæ me ad hunc statum perduxerunt

43.

perdixerunt euentibus, necesse est vt penitus acquiescam. Externa ea sunt quædam, quædam interna. Externa vt parentes, natiuitatis locus & tempus, educatio, propinquorum mors, fauor aut inuidorum æmulatio, nobilitas aut obscuritas generis, prospera fortuna aut aduersa. Interna sunt, animi aut corporis dotes, ingenium, hebetudo, membrorum vires aut languor, atque his similia.

is qua te ad eum statum perduxere adiumentis acquiescas necesse est.

44. Quid verò de his demens conquestus sum hætenus, qui Dei adinventiones & artes non attendi? mediocrem quia mihi conditionem in mente suâ designarat Deus; idcirco humilibus nasci me parentibus voluit, nec iis qui ad altiora me studia applicarent. Manuum labore viuere volebat me; idcirco ignobiles mihi natales procurauit, vt ab ipso exordio durioribus assuescerem, & necessitate, & verò etiam parentum inductus exemplo. Sic iam facilè fortem meam fero, ad quam deiici prorsus fuisset intolerabile. Plebeius esse si debui, an commodiori modo ad eum poteram statum deduci? Quid ergò queror, aut parentes præmaturè ereptos mihi, aut fauores denegatos, aut abiudicatam litem, aut fortunæ vices asperas? Plebeium me voluit Deus, pauperem & deiectum; & verò ego alius esse non volo. Acquiesce igitur adiumentis illis, per quæ factum est, vt statum tibi tam conducentem obtineres.

Sive ea externa sint.

45. Neque iam adeò de animi corporisque dotibus Deo litem moue; nec de ingenio tuo, aut formâ, valetudineuè corporis, est quod conqueraris. Hæc enim ipsa sunt, quæ statui tuo procurando fuerunt adiumenta. Neque tuas cum alienis dotes compara, quietus vt sis.

Sive etiam interna.

1. Cor. 7.

Vnusquisque enim proprium donum habet à Deo, vnus quidem sic, alius verò sic, pro vt status vniuscuiusque & conditio requirebat. Et verò si te alteri comparare vis, omnia simul appende, & quæ habet incommoda, à commodis quæ sola tu trutinas, ne disjunge: verum & bona & mala tua, cum alienis bonis & malis, æquâ lance expende: videbisque confestim, nihil prorsus deesse tibi, iustissimâque trutinâ omnia tibi fuisse appensa.

Nec tua cili alienis comparata, vt quietus sis.